



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum est pro Hungaria
3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Megjelenik Budapesten, I. kerület, Verpeléti-út 22.,
tízszor egy évben. Előfizetési ára évi 3 pengő; kül-
földön 4 pengő.

Laus sacrae regni Hungariae coronae.

*Prisca, salve, magnanimum corona
Principum! Salve, robur Hungarorum!
Qui premuntur sorte, tua levantur
Vi recreati!*

*Quinquies Te saecula reddiderunt
Bina sacram! Te Stephano iubente
Posteris servant Dominae¹ dicatam
Sceptra tenenti.*

*Pro tua pugnas iniit salute
Mille dux Christi: cruciger Ioannes,²
Pro suo regno Tibi cavit hostes
Austria felix.*

*Tartaros postquam rabidos beata
Sorte vitasti, armigeram fugabas
Turciam. Internis tamen occidisti
Fraudibus orba!*

*Vicit, heu, taetro Trianon triumpho!
Frangitur quarti Caroli corona!
Sed manet splendor. Colëris, colëris
Nunc et in aevum!*

Gabriel Darázs.

¹ Nagyasszony ² Hunyadi János.

Mariacella.

Multas cum iam Austriae et pulcherrimas
regiones perlustrassem, subiit animum¹ deni-
que locum gratiae² celeberrimum flagran-
tissima visendi cupiditas.¹ Est autem hic
gratiae locus Mariacella. Suscipependi itineris
Mariacellensis iam exeunte mense Iulio fixum
atque statutum erat.³ Omnibus itaque, quae
ad iter faciendum necessariae sunt rebus
praeparatis a. d. VI. Idus Iulias e foro
Vörösmartyno, ubi vehicula automata pu-
blica⁴ inter Budapestinum et Vindobonam
commeantia stationem habent, profecti su-
mus. Per amoenissima montium vecti Arra-
bone⁵ semihoram quieti dedimus, post per
plana⁶ et paene eandem atque immutabi-
lem faciem regionis⁷ vehentes itineris ma-
gnam partem confecimus. Postmeridianum
erat tempus, cum ad fines Austriacos perveni-
mus. Itinere iam per Austriacam terram
facto hora secunda postmeridiana Vindobo-
nae vehiculo descendimus. Ibi postquam in
hospitio publico⁸ pernoctavimus, mane cir-
citer hora octava vehiculum automatam pu-
blicum conscendimus iter Mariacellense per-
recturi.⁹

Vehiculo automato ardua montium,¹⁰ pro-

¹ megszáll a vágy ² kegyhely ³ el volt határozva
⁴ autóbusz ⁵ Győr ⁶ síkvidék ⁷ egyhangú vidék
⁸ szálló ⁹ folytatni ¹⁰ meredek hegyek.

funda vallium¹¹ et saltus abietibus consitos¹² summa cum velocitate pervolantibus tures tandem aedis Mariacellensis in conspectum cadebant.¹³

Advenientes Mariacellam inedia¹⁴ per sex horarum iter toleratam in primam quamque¹⁵ cauponam¹⁶ deversi tandem expulimus.¹⁷ Deinde hospitium conduximus.¹⁸ Vidulis¹⁹ nostris ibi conditis²⁰ nos ad oppidum contemplandum dedimus.

Oppidum Mariacella situ amoenissimum



longissime porrigitur²¹ in radice montis Bärgeralpe, unde tempestate serena in montes Alpinos, qui vocantur Hochschwab, Ötscher, Gemeindealpe et alios atque lacum Erlaf prospectus²² patet²³ pulcherrimus. Sunt praeterea visendae²⁴ angustiae,²⁵ quas fluvius Salza interfluens ac per anfractuum multiplices errores²⁶ fluctus volvens amni illabitur²⁷ Enns. Ad oculos Mariacellam intrantium platearum atque aedificiorum insignis munditia ac nitor confestim accidere solet.


Sed maxime Mariacella visitur propter aedem²⁸ sacram iam inde antiquitus²⁹ celebratam,³⁰ quo cotidie agmina peregrinantium³¹ congregantur Sanctae Virgini gratiae plenae ab imo pectore preces fusuri,³² ut solatium malorum et animorum requiem efflagitent.

Sacra aedes Mariacellensis, quae medio in foro oppidi paululum edito³³ assurgit, est eo structurae genere,³⁴ quod temporibus renatarum litterarum³⁵ vigebat, aedificata patetque 84·37 metra in longitudinem et 29·55 metra in latitudinem et 31·34 metra in altitudinem eminet; eademque habet tres tures, quarum media, Gothico genere structa, in 82·5 metrorum altitudinem sese extollit. Partibus aedis posticis³⁶ tholus³⁷ pulcherrimus cernitur. Camerae³⁸ multis crustis³⁹ et picturis sunt distinctae. Supra portam lapidea statua Ludovici Hungarorum regis victoria de hostibus repraesentatur. Interior pars vero divisa est in tres naves, quibus utrinsecus⁴⁰ sex sacella⁴¹ atque navis transversa⁴² sunt adiuncta. Duobus gradibus et epimedio⁴³ ex marmore facto separatur presbyterium, in quo quinque gradibus ascenditur ad altaria maxima. Quod opus ex nigro marmore factum Fischeri de Erlach est (1693) ornaturque cruce ebena,⁴⁴ qua Petrus et Christus ex argento facti conspiciuntur, subter quam crucem est globus argentea lamina⁴⁵ inductus,⁴⁶ cuius pars interior pro tabernaculo est. Habet aedes duo altaria minora et cryptoporticus,⁴⁷ quarum parietes innumerabili tabularum votivarum multitudine obsiti sunt, quarum haud paucae Hungaricas habent inscriptiones.

Aedis Mariacellensis origo ex saeculo duodecimo repetitur. Ea pro gratiae loco, ex quo tempore Henricus marchio Moraviae cum uxore in casam monachi cuiusdam ingredienti ex morbo gravissimo mirum in modum recreati essent, haberi coepta est, verum fama loci tum demum maxime percreebruit,⁴⁸ cum Ludovicus Magnus, rex Hungarorum hoc loco aedem aedificavit. Anno autem 1644 regis Ferdinandi III. rogatu ab-

11 mély völgyek 12 fenyőerdők 13 feltűnedezték
14 éhség 15 legelső 16 vendéglő 17 elvertük 18 kivetünk
19 koffer 20 elhelyez 21 nyúlik el 22 kilátás
23 nyílik 24 megtekintésre érdemes 25 szoros, szurdok
26 sok útvessztős kanyargás után 27 beömlik 28 templom
29 régtől fogva 30 látogatott 31 zarándok, búcsújáró
32 imádkozzanak 33 magas 34 stílus 35 renaissance
36 hátsó 37 kupola 38 bolthajtás 39 stukkatur
40 mindkétfelől 41 kápolna 42 kereszthajó 43 karfa
44 ébenfa 45 lap, pléh 46 bevonva 47 fedett csarnok
48 elterjedt.

bas Benedictus aedem dimidia parte auxit, quae eodem saeculo exeunte amplificata est. Mariacella quotannis ad ducentis peregrinantium milibus visitatur. *Carolus Ács.*



LECTARIUS MINIMIS.

Aratrum¹ aureum.

Olim rex quidam aratrum aureum sibi faciendum curavit. Deinde convocavit optimates, qui exputarent,² quanti aratrum esset. Alii plus, alii minus dixerunt, nemo tamen pretium aratri exputare potuit. Tum rex arcessit maximum natu suorum clientium,³ quem interrogavit, quid aratrum valeret.⁴

Senex, quamquam diu cogitans, rem tamen exputare non potuit. Tum rex dixit eum, nisi tribus diebus pretium aratri exputasset, securi percussus iri.

Postquam senex domum rediit, toto die maerens cibo potuque abstinuit. Quod ubi filia eius pulcherrima quattuordecim annos nata animadvertit, interrogat:

— Quid tristis es, mi pater?

— Quidni⁵ maeream, — respondet pater, — cum rex sub poena capitis⁶ mihi imperarit, ut pretium aratri aurei, quod heri fecit, exputarem.

— I modo — ait puella — et dic regi pluviam Maiam et Aprilem aratro pluris esse.

— Satin, mea filia, rem deliberasti? nam agitur de salute et capitali supplicio.

— Satis ego rem deliberavi; i modo, mi pater.

Senex adit regem et pluviam Maiam et Aprilem aratro pluris esse dicit.

— Unde hoc scis aut quis hoc tibi dixit? — interrogat rex.

— Mea filia quattuordecim annorum — respondet senex.

— Agedum — ait rex, — dabo tibi mani-

pulum⁷ lini;⁸ dic tuae filiae, ut e lino neat⁹ tot fila¹⁰ atque ex filis texat tot lintea,¹¹ sub quibus omnes mei milites stare possint. Quod si non fecerit, supplicio capitali punietur.

Domi senex filiae narravit, quid sibi rex dixisset.

— Nihil amplius?¹² — quaerit puella. — Ecce lignum, affer hoc regi et dic, ut ex hoc faciat fusum,¹³ colum,¹⁴ turbinem,¹⁵ telam;¹⁶ haec si fecerit, iussum eius fiet.

Senex ad regem adit eique dicit, quid sua filia nuntiasset. Rex prudentia puellae commovetur.

— Adduc mihi — inquit — tuam filiam, quam videre cupio.

Adductam puellam rex adamavit¹⁷ et uxorem duxit, tamen ea condicione, ne cuiquam consilium daret; alioquin illam a se expulsum iri.

— Promitte, quaeso — ait puella — mihi, si me expuleris, mecum ferre licere, quod maxime amem.

Rex promittit.

Inter cetera fiebat, ut regina hominibus queribundis,¹⁸ qui in regiam venerant, absente rege consilia daret.

Mox cum rex domum redisset factaque coniugis comperisset, iratus eam postridie ad primam lucem domo abire iussit.

Vespero regina soporem¹⁹ vino mistum regi praebuit. Ubi rex vinum potavit, statim sedens obdormivit. Tum regina virum ope ancillae currui impositum in domum patris vexit.

Mane rex experrectus cum exiret, caput ad limen superum²⁰ offendit.²¹

— Hui, ubi sum?

— Hic apud me — respondet regina.

— Quisnam me huc portavit?

— Ego; nam promisisti, quod maxime amarem, mihi auferre licere. Quoniam vero te maxime amabam atque amo, te abstuli.

Et regem amplexata osculatur.

— Agedum — ait rex, — ego quoque te,

¹eke ²kitalál ³jobbágy ⁴ér ⁵miért ne? ⁶halál-büntetés ⁷marék ⁸len ⁹fon ¹⁰fonal ¹¹vászon ¹²ennyi az egész? ¹³orsó ¹⁴rokka ¹⁵motolla ¹⁶szövőszék ¹⁷megszeret ¹⁸panaszos ¹⁹álompor ²⁰szemöldökfa ²¹beleüt,

ocule mi,²² maxime amo. Sed iam eamus domum, tuum quoque patrem abducamus et casam relinquamus pauperibus.



Postquam domum redierunt, iterum magnum instruxerunt convivium, in quo etiam canes libum²³ ederunt.

V. Fehér.

²² kedvesem ²³ kalács.

Insula viperarum. (3.)

Scripsit *Carmen Sylva*; Latine vertit *Georgius Kaul, dr.*

Et illum secum abstraxit praetercurrens cunctos illos homines fluctuantes,¹ quorum, cum omnes Latine et Graece loquerentur, unumquodque verbum intellegebat. Etiam facies eorum ei mirum in modum notae videbantur. Huic vel illi appropinquare eosque «Claudi!», «Plaute!», «Luci!» vocare vehementissime cupiebat, nam illi comites Caesaris esse ei videbantur, quos antea cottidie viderat. Sed dux parva manum eius gracilibus lentisque digitis comprimens eum abstraxit. Nomina artificum philosophorumque Graecorum et senatorum Romanorum eum circumsonabant. Animus eius mirum in modum commotus est. Tam diu patrio

sermone eguerat, ut nominibus eis, quae antea ad eum nihil pertinuerant, cor eius palpitaret² et oculi lacrimis implerentur, tantum quia noverat ea. Nonnulli tamquam necopinato gaudio affecti ad eum accedebant. Quos Colubra semper arcebat, quin etiam pede venusto³ humum impatienter pulsabat, nisi statim abscederent, supercilia tenuia constringebat, ex nigris oculis mittebat tamquam fulmina, quae sola serpentis naturam referebant. Aliquando etiam linguam roseam et aculeatam ostendit, quae tam subtilis erat, quasi pungere posset. Liberi in horto magico nulli fere erant, atque illi pauci, quos conspexit poeta, vel tristes errabant vel tacentes alter alterius manum tenebant et timidis oculis illum versicolore⁴ et laetum mundum spectabant, a quo alienissimi esse videbantur. Nemo eos curabat, nemo cum eis loquebatur; nam suae quisque laetitiae memor esse videbatur. Ovidius eos comiter allocuturus erat, sed praeter eos quoque Colubra eum praeterduxit in trichilam⁵ penitus absconditam et iuxta fontem murmurantem sitam. Ibi illi praeclarissimos fructus apposuit, lato folio decerpto aquam hausit eumque bibere iussit. Tum in ramum insiluit, alium splendido brachio complexa est, pedibus oscillans:⁶

«Age», inquit, «quid opinaris de amicula tua?»

— «Illam me consopivisse!»

— «Minime! Non somnias! Tu es in Insula viperarum, in quam relegantur omnes homines, qui in vita sua mentiti sunt. Millesimo quoque anno semel virescit⁷ insula; nos induimus nostram formam humanam et ambulamus in horto magico; sed ex hominibus vivis nos spectare licet uni poetae. Qui infelicissimus esse debet neque cum ullo colloqui, nam si minimum mendacium dixerit, in serpentem mutabitur in mille annos, et cras hic non iam pulchrum erit!»

— «Sed nonne possum loqui sine mendacio?»

— «Potes, cum parva tua Colubra vel Tomis, ubi panem tantum poscis et lignum et aquam atque ubi nihil tibi prodest esse eru-

¹ hullámzó ² feldobog ³ hájos ⁴ tarka ⁵ lugas
⁶ hintál ⁷ kizöldül.

ditum vel comem⁸ vel facetum,⁹ cum nemo verba tua intellegat. — Sed cum tui similibus eodem modo loquereris atque illi, tum pro te fidem interponere¹⁰ nollem!»

— «Sed video senatores, magistratus, artifices, philosophos, matronas spectatissimas, quin etiam infantes!»

At illa misericordia commota: «Isti», inquit, «omnes in vita mendacia dixerunt et cum propter mendacem linguam etiam apud inferos timeantur, missi sunt in Insulam viperarum, ubi nemini calamitatem inferre possunt. Liberorum sors tristissima est, cum tam alieni sint ab omnibus neque quisquam eorum priora tempora recordetur. Illis hic ipse dies laetitiae tristis est, quod tunc sese desertos esse eo magis sentiant. Hodie vesperi Charon nauta ad hoc litus appellet et quisquis his mille annis verum dixerit, ei licebit cumbam eius conscendere ac cum illo ad inferos navigare. Quod temporis momentum tu ne expectes; nam tunc cuncta mutabuntur. Ego omnibus sum anteposita, cum mihi apud te manere liceat, et tu es tutus ab insula, cum vivus delicta iam satis luas!»

— «At tu», inquit poeta, «quidnam tu commisisti?»

«Egone?» Puella erubuit et de ramo, in quo sederat, desiliens neglegenter:

«Haud scio», inquit, «an mentita sim, sicut ceteri» et raptim eum secum traxit inter turbam virginum formosarum. Circumspiciens digito labra attigit. Tempus summum fuit: nam vetula quaedam mulier comiter ringens¹¹ Ovidio appropinquavit et «Ecce», inquit, «nostrum magnum poetam! Estne, sicut nos, terra et Orco expulsus? Pauper Ovidi, ambulasne ipse mutatus? Nonne aspere tractantur homines prudentes? Quippe non nostra culpa prudentiores eramus ceteris! Et dulcem tuam comitem! Iam dudum eam novi et diligo!»

⁸ barátságos, nyájas ⁹ kedves, finom ¹⁰ nem keskedném érted ¹¹ vicsorog.

Si esurierit inimicus tuus, ciba¹ illum; si sitierit, da ei aquam bibere: prunas² enim congregabis super caput eius. (Prov. 25. 21.)

¹ Adj neki kenyeret enni ² eleven szenet gyűjtesz az ő fejére.

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Eutropii

Breviarium Historiae Romanae.

Liber septimus.

CAP. XVII. Otho occiso Galba invasit¹ imperium, materno genere nobilior, quam paterno, neutro tamen obscuro. In privata vita mollis et Neronis familiaris,² in imperio documentum³ sui non potuit ostendere. Nam cum iisdem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus esset a Germanicianis exercitibus imperator, bello contra eum suscepto, cum apud Betriacum in Italia levi proelio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semet occidit petentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret eventu, cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum civile bellum commoveretur. Voluntaria morte obiit trigesimo et octavo aetatis anno, nonagesimo et quinto imperii die.

CAP. XVIII. Dein Vitellius imperio potitus est, familia honorata⁴ magis quam nobili. Nam pater eius non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Hic cum multo dedecore imperavit et gravi saevitia notabilis, praecipue ingluvie⁵ et voracitate,⁶ quippe cum de die saepe quarto vel quinto feratur epulatus. Notissima certe coena memoriae mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit,⁷ in qua, super ceteros sumptus, duo milia piscium, septem avium milia apposita traduntur. Hic cum Neroni similis esse vellet atque id adeo prae se ferret, ut etiam exsequias Neronis, quae humiliter sepultae fuerant, honoraret, a Vespasiani ducibus occisus est interfecto prius Sabino, Vespasiani imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit. Interfectus autem est et cum magno dedecore tractus per urbem Romam publice, nudus, erecta⁸ coma et capite, subiecto⁹ ad mentum gladio. Po-

¹ vette birtokába, ragadta magához ² bizalmas barátja ³ rátermettségének jelét ⁴ tekintélyes ⁵ falánkság ⁶ torkosság ⁷ adott ⁸ felemelt, felegyenesített; u. i. fejét hajánál fogva hátrahúzták, mint ez az elítélteknél szokásos volt ⁹ Suetonius szerint (Vit. 17) álla alatt mellére egy hegyével fölfelé fordított kardot kötöttek, hogy le ne hajthassa arcát.

stremo iugulatus et in Tiberim deiectus etiam communi caruit sepultura. Perit autem aetatis anno septimo et quinquagesimo, imperii mense VIII. et die uno.

CAP. XIX. **Vespasianus** huic successit, factus apud Palaestinam imperator, princeps obscure quidem natus, sed optimis comparandus, privata vita illustris, ut qui a Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam missus, tricies et bis cum hoste conflixerit, duas validissimas gentes, XX oppida, insulam Vectam,¹⁰ Britanniae proximam, imperio Romano adiecerit. Romae se in imperio moderatissime gessit. Pecuniae tantum avidior fuit, ita ut eam nulli iniuste auferret. Quam cum omni diligentiae provisione¹¹ colligeret, tamen studiosissime largiebatur, praecipue indigentibus. Nec facile ante eum cuiusquam principis vel maior est liberalitas comperta, vel iustior. Placidissimae lenitatis, ut qui maiestatis quoque contra se reos non facile puniret ultra exsilii poenam. Sub hoc Iudaea Romano accessit imperio, et Hierosolyma, quae fuit urbs nobilissima Palaestinae. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quae liberae ante hoc tempus fuerant, item Thraciam, Ciliciam, Comagenen, quae sub regibus amicis egerant, in provinciarum formam redegit.

CAP. XX. Offensarum¹² et inimicitiarum immemor fuit, convicia¹³ a caudicis et philosophis in se dicta leniter tulit, diligens tamen coercitor¹⁴ disciplinae militaris. Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphavit. Per haec cum senatui et populo, postremo cunctis amabilis ac iucundus esset, profluvio ventris¹⁵ extinctus est in villa propria circa Sabinos, annum aetatis agens sexagesimum nonum, imperii nonum et diem septimum, atque inter Divos relatus est. Genituram¹⁶ filiorum ita cognitam habuit, ut, cum multae contra eum coniurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in senatu dixerit, *aut filios sibi successuros, aut neminem.*

¹⁰ ma : Wight ¹¹ minden lehető gondossággal ¹² sérelem ¹³ szidalom, szemrehányás ¹⁴ fékező, rendtartó ¹⁵ bélhurut ¹⁶ sorsát.

Deus solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos. (Matth. 5, 45.)

EX ARCHIVO LATINO HUNGARORUM

E Marci Chronicis

de gestis Hungarorum.

De morte sanctissimi Emerici ducis.

(Cap. 41.)

Postquam autem magnificavit¹ Dominus misericordiam suam cum Beato Rege Stephano, vertendo dorsa regum in fugam a facie gladii eius,² et dominio eius³ principatus atque potestates subiciendo³ omnium exterarum nationum circumadiacentium,⁴ deliberavit⁵ Sanctus Rex Stephanus, et firmiter statuit, ut omnibus pompis mundanae⁶ gloriae calcatis,⁷ et temporali⁸ regni diademate deposito, solius Dei servitio semet ipsum manciparet,⁹ et ab exterioribus curis expeditus,¹⁰ contemplativam¹¹ vitam, tranquillam pacem perageret; coronam vero regiae celsitudinis¹² filio suo Duci Emerico, sanctissimis moribus divinitus¹³ instructo, se daturum disposuit. Erat enim Beatus Emericus in primaevo adolescentiae flore, supra communem naturam hominum, divino munere sublimatus,¹⁴ iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia, sapientia, scientia, mansuetudine, misericordia, benignitate, largitate, humanitate et patientia armatus, ceterisque catholicis atque politicis virtutibus adornatus, similiter et Sanctus Stephanus pater suus. Cum itaque sanctissimus pater sanctissimo filio curam administrationis et gubernandi regni sollicitudinem¹⁵ intenderet¹⁶ committere, Beatus Dux Emericus propria morte praeventus est.¹⁷ Flevit autem eum Sanctissimus Rex Stephanus, et universa Hungaria inconsolabiliter¹⁸ planctu magno valde. Tanta vero doloris acerbitate Sanctus Rex Stephanus exacerbatus,¹⁹ in gravissimam incidit infirmitatem, et post multos dies vix qualemunque vitae reparationem recepit,²⁰ sed pristinae sanitati nunquam plene potuit restitui. Nam et pedum doloribus urgebatur, et tristitia, ac gemitibus afficiebatur, praesertim propterea, quia nullus videbatur de consanguineis suis idoneus ad hoc, ut eo mortuo regnum in fide Christi conservaret. Pronior etenim erat gens Hungarica ritui paganismo inclinari, quam fidei Christianae.

¹ felmagasztalta ² kardjának színe elől ³ uralma alá vetvén ⁴ köröskörül fekvő ⁵ elgondolta ⁶ világi ⁷ megvet ⁸ mulandó ⁹ (átengedi) szenteli magát ¹⁰ megszabadulva ¹¹ szemlélődő ¹² felség ¹³ isteni sugallatból ¹⁴ megáldott ¹⁵ gondját ¹⁶ elhatároz ¹⁷ a halál megelőzte ¹⁸ vigasztalhatatlanul ¹⁹ elkésedve ²⁰ helyreállott egészsége,

Domus aurea. (3.)

Ad fabulam *Felicis Nabor* Latine scripsit *Valentinus Fehér*.

III. Pater et filia.

Eo vespere Claudia frustra suum cultorem¹ virumque futurum expectabat. Rufus in lecto mollibus pulvinis² strato iacebat, caput maddido linteo³ involutum, contusa facies spleniata⁴ erat; latus dolens oleo fricabatur.

Fulvia altero die mane certior facta est, quid in officina accidisset. Pro Pelia tremens lectica in oppidum ad domum patris se portari iussit. Cum de Pelia sciscitata esset, magister servorum respondit illum escam sumere recusare. Tum Fulvia in tabula cedata haec verba scripsit: «Fide et esto constans. Ego tibi fida manebo.» Hanc tabulam per certum quendam servum ad captivum misit. Quae ubi Pelias legit, statim surrexit et cibum vinumque rogavit.

Cum Fulvia ad patrem intromissa esset, sic eum increpuit:⁵

— Cur Peliam tam dure et crudeliter punivisti?

— Quid tibi cum Pelia? — clamat Rufus iratus. — Ego sum in domo mea dominus et quod mihi lubet, facio.

— Scis — inquit Fulvia, — quam aegre feram,⁶ si quem virgis caedere iubes. Pelias nobili genere ortus est atque tantus artifex, quocum nemo comparari possit.

— Sed est servus — excusat Rufus — et parieti me afflixit.

— Sine causa? Hoc vix crediderim.

— Contumax in me fuit. Cum illum domum auream signis deorum ornare iussissem, facere recusavit. Praeterea Christianus est.

— Christianus? Quis hoc ait? An ipse Pelias hoc fassus est?

— Non, sed tacuit, cum a quodam servo Nazarenus diceretur. Praeterea cum ingrederer, imaginem pastoris — Dei sui — ex marmore sculpebat. At ego Deum illum contudi.

Hoccine fecisti? — clamat Fulvia rubore perfusa. — Indignum! Nullane inest in te humanitas?

— At Pelias miser servus est atque Nazarenus — respondet Rufus voce attenuata.

— Novistine Nazarenos?

— Nonne illi hostes sunt patriae deosque contemnunt? Nonne illos Nero ferro ignique extirpare studuit?

— Nero? — clamat Fulvia. — Num ille nullum facinus fecit? Non ille Germanicum, Agrippinam, Senecam, Octaviam interficere iussit? Et tu talem homicidam appellas?⁷ Paene me tui pudet.

— Fulvia! — clamat Rufus animo concitato.⁹ — Cave! Obliviscerisne me tuum esse patrem?

— Non obliviscor — respondet Fulvia et ad patrem assidit. — Tu ipse scis, pater, te errare. Per ego te memoriam matris meae rogo, redeas in rectam viam.

— Quorsum haec verba spectant?¹⁰ — quaerit Rufus inquietus.

— Fama — ait Fulvia — vulgo de te et Claudia fertur. Neque tu, pater, unum de hac re verbum facis, sed taces. Loquere, pater: agitur¹¹ de bona domus nostrae aestimatione.

Rufus poculo vini exhausto:

— Agedum¹² — inquit, — scito: Claudiam uxorem ducere cogito.

— Ne feceris, pater! — clamat Fulvia brachium patris amplectens. — Mulier illa afferet domui nostrae calamitatem. Ego ecastor¹³ illam huc ingredi non patiar.

— Tu non mihi imperas. Iam mihi certum est illam uxorem ducere. Tu in domo aurea habitabis una cum tuo coniuge. Placidus Priscus, unus e nobilibus Romanis te petit in matrimonium.¹⁴

— Ego tamen — ait Fulvia — eum repudio.¹⁵ Nullum in eum amorem habeo.

— Hoc matrimonium fieri oportet.

— Non vides, pater, in quod barathrum¹⁶ calamitatis praecipites?¹⁷ Claudia illa callida nihilo magis¹⁸ te amat, quam me Priscus. Rem nostram familiarem¹⁹ corripere volunt, quo facilius potentiam auctoritatemque con-

1 udvarló 2 vánkos 3 vászon 4 tapasszal borított
5 rátámad 6 rosszul esik 7 gyenge 8 hivatkozik
9 izgatott 10 célöz 11 szó van 12 nos 13 bizony
14 nőül kér 15 elutasít 16 örvény 17 zuhan 18 ép
úgy nem 19 vagyon.

sequantur. Itane caecus es, pater, ut hoc non videas?

— Pueriliter loqueris — ait pater et surrexit. — Nunc in curiam me ire oportet. Tu vero reputa rem et praebe te filiam obsequentem.

Fulvia sentiebat a femina, quam pater suus amabat, illud consilium excogitatum atque patri suggestum²⁰ esse. Quare illam visere atque a proposito deflectere²¹ constituit. Prius tamen adiit ad sepulcrum matris ibique genibus flexis²² diu supplicavit.

— Religioni meae — inquit — amorique fida manere volo.

²⁰ sugall ²¹ eltérít szándékától ²² letérdelve.



Iocosa.

— Maritus tuus tam industrius¹ esse dicitur, ut non satis habeat² in officiorum civilium aedibus³ suo fungi munere, sed libellos⁴ secum afferens etiam domi suae scriptum facitet.⁵ Meus quidem hoc ut faciat nequit adduci.

— Quo ille munere fungitur?

— Viarum straturam facit.⁶

*

— O me infelicem! inquit uxor marito, pro nostro vehiculo manuali,⁷ quo filiulus vectatur,⁸ aliud quoddam attraxisti: hic quidem sane non est filiulus noster.

— Est ita ut dicis, inquit maritus, sed vehiculum tanto bellius⁹ est. C. Acs.

¹ szorgalmas ² nem elégszik meg ³ hivatal ⁴ akta ⁵ írásbeli munkát végez ⁶ útcsináló ⁷ kézi (gyermek) kocsí ⁸ tologatjuk ⁹ csinos.

Solutiones aenigmatum numeri II.

I. Pruna 4, pira 12, mala 36. — II. 9, 12, 10. — III. Parus, Fides, mitra, miseria, messis. — Sententia Sallusti: Parum fidei miseris est.

Aenigmata recte dissolverunt: *Magdalena Fajcsék, Emericus Kammerlohr, discipuli VI. cl. gymn. reg. cath. Miskolciensis, discipuli VII. cl. gymn. reg. cath. Miskolciensis, Iulius Prókay, Marianna Renner, Magd. Szabó, Paula Szilassy, Marianna Takács, Tib. Tihanyi, Magd. Zarka.* — Praemium discipulis VII. cl. gymn. reg. cath. Miskolciensis sorte adiudicatum est.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Negotiorum curator: F. Kohl Iun.

AENIGMATA.

I.

Dissolvendum ad saltum equulei.

In	ri	is	om	u
li	ni	ni	tas.	bi
tas,	ne	ca	is	in
bus	ber	sa	du	tem
ces	in	au	tas,	ri

II.

12, 29, 32, 4, 5, 28, 20, 37, 9 = filius Iovis et Maiae, dictus a mercibus;

16, 2, 32, 6, 1, 19, 10, 37, 9 = urbs Peloponnesi in Achaia, inter duo maria, Ionium et Aegaeum; 24, 36, 29, 35, 23, 9 = uxor Pelei, Thessaliae regis, mater Achillis;

3, 11, 38, 25, 26, 29, 9 = populi Africae, qui stabiles sedes non habuerunt;

7, 8, 30, 33, 34, 27, 25 = vicorum coniunctio, item de locis propinquis dicitur;

18, 31, 7, 29, 14, 9, 13, 26, 29, 9 = iidem sunt dei ac indigetes;

22, 21, 17, 9, 15, 33 = incolae fuerunt urbis Cretae, apud Idam montem, in qua olim Minois regia fuit.

1—38 sententia Horatii.

Epistolia Officialia.

Em. Kammerlohr. Solutiones aenigmatum quam celerrime (tardissime autem ad Nonas cuiusque mensis) ad moderatorem mittantur oportet. Litterae tuae sero mihi redditae sunt. *A. Cz. Miskolc.* Opuscula tua (iocosa et aenigmata), vir et collega carissime, rite accepi, quae tamen huic numero iam inseri non potuerunt. *Iul. Vattamány.* Quod desideraveras, iam exsectus sum.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiszkolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: IOANNES KISPARTI DR., elnök.)